



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 32. in oratores haud moratos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

sta? iustitia clamabat, inquit Sylveira, quæ tacere nescit, quia ergo iustitiam Ioannes zelabat, vox dicitur esse clamantis. Magnus enim verò iustitia clamor est, ut patet in sanguine Abelis vindictam clamante, in sudore afflictissimi Israël sub iugo Pharaonis decumanas plagas exigente, in clamore Susannæ contra inveteratos malorum senes talionem postulante: *exclamavit voce magnâ Susanna: exclamaverunt autem & senes aduersus eam* Daniel 13. v. 24. in quæ verba Hieronymus: *magna vox erat non clamore faucium, sed pudicitie magnitudine per quam clamabat (Susanna) ad Dominum: unde & Sancta Scriptura in exclamatione seniorum nō apposuit ma-*

gnam vocem. Clamet iniustus voce etiam leoninâ, non erit tamen vox magna & ullatenus comparabilis illi, quem in divinis auribus edit levissimus quisque gemitus ex corde iniuste oppressi emissus. Timete peccatores iniusti, quia vox vacua non revertetur, sed tonitrua & fulmina in caput vestrum denique accerset. *Magna vox iustitiæ* exclamat D. Paschasi⁹ *per quam mortui loquuntur, non solum loquuntur, verum etiam sicut Abel clamant.* ad quos ego clamores inhorresco, contemisco, obmutesco.

Paschasius lib. 4.

* * *
* * *
* * *



PHILIPPICA XXXII.

In oratores haud moratos.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Amen Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Ioan, 16. v. 23.

S. I. Variæ cauzæ non semper audiuntur preces.



Udio insanum nè dicam blasphemum atque sacrilegum nonnullorum murmur, qui quòd postulata actutum non impetrant, pietati divinæ diffidunt, imò & veracitatem insimulare nefariè præsumunt, cum impudentissimo hæresiarcha, germaniæ nostræ probro & monstro sacrilego, cuius sinè lutulatione nomen per os meum proferri non potest, dicere auso in psal. 44. interpretatione: *neesse est Christum hic summè esse mendacem.* ò vox omnibus fulminibus digna! ò lingua cui excarnificandæ omnes tartari rotæ ac rogi non sufficiunt! ò blasphemia nec à Beelzebub, aut

si quis hoc nequior in orco dæmon est, audita! quid? veritas ut fallat, sapiëntia ut erret, Bonitas ut corrumpat, Christus ut mentiatur? nescio utrum Antichristo aut hujus parenti similis in mentem & buccam ventura sit insania. Irrefragabilis est incarnati Dei nostri promissio, dum ab homine supplice præscripta observetur conditio, multi multa sibi petere videntur & *nihil petunt*, quia saluti suæ noxium, gloriæ divinæ infestum, universitati humanæ probrosum, & nonnunquam adynaton petunt. nec petunt *Patrem* sed hostem, sed iudicem, sed vindicem, sed imaginarium tyrannum, neque petunt *in nomine Salvatoris*, cum petant contra ratio-

Y

tio-

tionem salutis. Denique nec pe-
tunt quidem, eam enim in orando
præferunt irreverentiam, ut ex-
postulare potius & impropere,
Deo, quàm gratiam aliquam serio
postulare censendi sint. ut enim di-
stractiones in precando taceam,
contra quas Cyprianus Ambrosius
Chrysostomus detonuere: *quomodo
te audiri à Deo postulas, cum te ipse
non audias? vis esse Deum memorem
tui cum rogas, cum tu ipse memor tui
non sis.* S. Cyprianus in expos. orat.
Dom. *plerumque negotiator venit ad
orationem, & arvarus de pecunia cogit,
alter de lucro, alter de honore,
alter de cupiditate, putas quòd e-
um Deus potest audire?* S. Ambrosius
lib. 6. de Sacram. *qui cum terreno
Rege loquitur, de ijs tantum verba
facit, de quibus ille voluerit audire:
tu verò cum Rege Regum colloquens,
cui cum horrore serviunt angeli, om-
misso cum illo sermone de luto, de pul-
vere, de telis araneorum loqueris,
nihil enim aliud sunt hujus vitæ ne-
gotia: & quomodo sustinebis hujus
vitæ negotia: & quomodo sustinebis
hujus contemptus pœnam?* S. Chry-
sostomus hom. 15. in illud: *vidi Do-
minum.* ut inquam nihil de distra-
ctionibus dicam, quæ orationem
irritam reddunt juxta tritum illud:
*ante Deum stantes nè sitis corde va-
gantes, si cor non orat, in cassum lin-
gua laborat;* contra irreverentiam
duntaxat agam multorum, qui e-
am coram divina Majestate inter o-
randum adhibent rusticitatē, quam
neque vilissimus Rusticus à miserri-
mo mendicabulo toleraret. Si irre-
verentius nonnulla fortasse profer-
re visus fuero, nè umbram tamen
illius, quam Deo haudmorati ora-
tores inferunt, irreverentiæ attingam.

§. 2.
Orationis
necessitas
ex Chry-
sostomo.

Quod radix arbori est, quod
basis ædificio est, quod nervus hu-
mano corpori est, quod aqua pisci
est, hoc est iudice D. Chrysostomo,

oratio hominibus. ita enim orator
aureus lib. 2. de orando Deo loqui-
tur: *si te ipsum oratione destitueris,
perinde feceris, ac si piscem ex aqua
extraxeris; ut enim piscis vita est a-
qua, ita tibi deprecatio, fortis in aqua
piscis, extra aquam debilis, ita in
aqua tribulationis, beneficio orati-
onis fortes Israëlita & Jonas & Noë,
debiles verò Pharaon; & observavit
S. Cyprianus lib. de duplici Marty-
rio, eos potissimum in tormentis
martyres turpiter defecisse, qui o-
rationem negligebant. *Novi ego
ac servi quosdam magnam animi for-
titudine præditos, qui jam coronam
proximi defecerunt, & quem diu pro-
fessi fuerant, abnegarunt. quid fuit in
causa? dimoverant oculos suos ab eo,
qui solus robur dat infirmis, intermi-
serant orationem, & ceperunt ad hu-
mana præsidia respicere.* Nervus est
oratio, sicut enim nervis corpus
compingitur, ut stet, currat, movea-
tur, sic & oratio robur & vigorem
præstat actionibus. audiatur Chry-
sostomus lib. cit. *quemadmodum si in-
cidas nervos, universam corporis
humani harmoniam dissolves, ita si o-
rationem sustuleris, animæ vires &
actiones perdas.* incisus est Jacobo
Patriarchæ nervus, & superatus est,
cum antea in superabilis fuisset, ita
in superabiles sumus, quamdiu ner-
vus orationis in nobis viget.*

At non sufficit orare, nisi bene
oretur, nam juxta Canonicam Jaco-
bi doctrinam c. 4. v. 3. *petitis & non
accipitis, eò quòd male petatis,* male
petit, qui distractè irreverenterque
petit, ideòque ut monet ser. 16. in
ps. 90. Bernardus: *merito non exau-
ditur, tepidè postulans & remisè, ut
autem reverenter agat, inter pri-
mordia orationis ipsum, quem oratu-
rus est Patrem in cælis esse protinus
admonetur.* at quomodo dicis: *Pater
noster,* cum nullam Patri deferas,
reverentiam? quomodo dicis: *san-
cti-*

§. 3.
Reveren-
tia neces-
saria ora-
tioni.

Aspicitur nomen tuum, cum nomen
ter Sanctum profano usurpes ore?
quomodo dicis: *adveniat regnum
tuum*, cum rectâ ad tartara prope-
res? quomodo dicis: *fiat voluntas
tua*, cum divino placito semper ob-
nitaris? quomodo dicis: *Panem
nostrum quotidianum da nobis*, cum
eam nō adhibeas modestiam, quam
à pauperibus tu exigis? quomodo
dicis: *Et dimitte nobis debita*, cum
nova debita contrahas inter ipsas
preces? quomodo dicis: *Et nē nos
inducas in tētationem*, cum periculo
te distractionum volens sciens ex-
ponas? quomodo dicis: *libera nos
à malo*, cum ultrò affectes maliti-
am & locum des diabolo? non est
talis oratio *sicut incensum* ps. 146. sed
sicut halitus pestilens, si averfari-
eum, qui foetido te afflat halithi,
quantò magis te averfabitur Deus,
si in contemptum potius ejus quàm
cultum irreverentissimè ores. Nar-
rat in speculo exemplorum Ioannes
Major tit. orat. duos in lectulo o-
rantes, ut calidam Deo offerrent o-
rationem, irrisos insigniter à dæmo-
ne fuisse, qui intolerabili cubicu-
lum foetore affecit, & acroama su-
um adjecit: *qualis oratio, tale incen-
sum*. fugit quidem orationem dæ-
mon, sed ferventem reverentē-
que, *scelerati Spiritus, si nos conspe-
xerint deprecatione munitos, illicò re-
siliunt non aliter ac prædones Et fa-
cinorosi, ubi conspiciunt militis gladi-
um vibrari. quod si contingat aliquem
esse nudum precatōnis præsidio, hic a-
vulsus deportatur à dæmonibus Et in
calamitates variâque mala impelli-
tur.* hæc Chrysostomus lib. 1. de o-
rando Deo.

§. 4.
Preces
pauperum
exaudiri
dicuntur,
cur?

Est fateor Deus ad exaudien-
dum tam pronus, ut desideria ipsa
præveniat: *desideriū pauperū exau-
dit Dominus* ps. 10. v. 17. paupe-
rum inquam, quia magna cum reve-
rentia & fervore orant. *cum obse-*

rationibus loquitur pauper proverb.
18. v. 23. dicatur cæco quòd Rex ad-
stet, mox ad modestiam se compo-
net, etsi præsentem non videat &c.
si fervor & reverentia absint, inex-
orabilis redditur Deus: *nos in-
quē egimus Et ad iracundiam provo-
cavimus, idcirco tu inexorabilis es,
opposuisti nubem tibi, nē transeat ora-
tio* thren. 3. v. 14. Non munit irreve-
rens oratio contra hostes, sed ho-
stibus objicit, non reprimit dæmo-
nes sed accersit, non vincit Deum,
sed ad iram provocat. Dixit Ju-
stinianus Imperator in novella con-
stitut. 133. imperium, militiam, agros
ipsos & quidquid habent homines
sæculares per orationem conserva-
ri sanctorum; pronunciârunt Hono-
rius Imperator imperium Roma-
norum ruere, sed stare precibus Sa-
cerdotum, non tamen quascunque
preces intellexit, sed illas duntaxat,
quæ sunt similes Moysis precibus
in monte contra Amalecitas expan-
sis brachijs orantis Exod. 17. vel cum
Deo manus teneret, nē sæviret in
populum, itâ ut diceret Deus: *di-
mitte me*, in Chaldæo est: *intermit-
te deprecationem*, ut irascatur furor
meus. reverentissima certè fuerit o-
ratio, quæ sic tenere ac flectere po-
tuit omnipotentem, eleganter Ber-
nardus dixit: *si non places non placas;*
si non placet oratio, divina nequa-
quam placabitur Miseratio.

Est oratio legatio hominum ad
Deum, quæ ut ad benignas admit-
tatur aures, politissima sit oportet.
noluit admittere proprios legatos
in conspectum suum David, eò
quòd veste truncati & capite rasi es-
sent ab Hanon Ammonitarum Re-
ge 2. Rege 10. non admisit ullum Af-
sverus qui sacco indutus esset *Esth.*
4. non est ductus in conspectum
Pharaonis Josephus, priusquam
tonderetur & decentissimè vestire-
tur *Gen. 41.* non admittetur pariter
Y2 ante

§. 5.
Sicut le-
gatio de-
bet esse
polita, itâ
& oratio.

ante Deum oratio nostra, si inculta fit, & ut sic dicam impexa & illota. Solvere jubetur Moyses calceamenta de pedibus *Exodi 3.* lavare vestimenta populus antequam descenderet Dominus in Sinai *Exodi 19.* ut exteriori habitu ac gestu interiorem docerent reverentiam munditiâque, quâ præditos nos esse decet, quoties ad orationem adimus. Oratio per novam adumbratur Hierusalem, quam ait Ioannes Apocalypticus *cælo descendere*, quia orationis donum desursum est, & per humilitatis virtutem descendit, ut, ascendat, à Deo paratam, quia orationis puncta ipsemet Spiritus Sanctus suggerit, *ornatam sicut sponsam*, quia comptam politamque esse convenit, ut altissimo placeat. Modesta precatio mirum quantum Dei oculos aurisque attrahit, *Deus enim* ut Philo loquitur lib. 1. de vit. Moysis, *modestia deletatur.* multum verecundia placet, inquit D. Ambrosius 2. offic. 18. multum conciliat gratiæ apud Deum, nonne hæc prætulit publicanum & commendavit eum, qui nec oculos, audebat ad cælum levare? præfertur publicanus Pharisæo, adulter, casto, raptor munifico, injustus iusto, præfertur inquam ob modestiam, de quo eleganter dixit Bernardus serm. de 4. modis orandi: *vim faciebat regno cælorum publicanus ille, qui dum non audebat oculos in cælum levare, ipsum cælum ad se potuit inclinare.* & Augustinus serm. 36. de verbis Domini: *publicanus ut aspiceretur non aspiciebat. respicere sursum non audebat, premebat conscientia, spes suble-vabat.* & quæ illa spes? ex cap. 22. v. 29. Jobi petita: *qui inclina-verit oculos, ipse salvabitur.* nimirum dives est apud Deum modestia (apud quem nemo dives, dives est) quia portio Dei est, ita D. Ambrosius in ep. 1. Petri c. 3. v. 4.

Apoc. 21.
v. 2.

Pythagoræ monitum erat: *nudis pedibus sacrificia.* quod sacerdotes veteris legis servabant, nec nisi nudipedes litabant; Mauri etiamnum & Saraceni non nisi pedibus nudis templa sua ob reverentiam ingrediuntur. nobis (dicebat Æthiopiæ legatus Zabazago apud Goensem Damianum) nobis non datur potestas adeundi templum, nisi nudis pedibus, neque nobis licet in ipso ridere, loqui, obambulare: quia templa similia sunt monti Sinai, ubi Dominus Moyfi dixit: solve calceamenta de pedibus. at nos involucria carnalium cogitationum (ita calceos exponit Bernardus) non modò non deponimus oraturi, sed ultrà assumimus & duplicamus, nunquam ferè magis mundanis curis dediti & in varia distracti, quam cum preces ad Deum inchoamus. non est qui cum eodem Bernardo dicat limini Ecclesiæ vel oratorij sui: ceteras meas curas tibi committo, hæc me curâ liberaverim, non est qui cum Cornelio centurione stata orandi tempora habeat Act. 10. de quo eleganter Chrysostomus: *Cornelius vitæ religiose sibi tempora constituit, non enim est vir pius, qui stata orandi & bonis operibus vacandi tempora non præfigit,* & hinc est, quòd angelum Cornelio adfuisse Lucas testatur, quia devotè orantes nunquam absque angelis sunt. *quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino Tob. 12. v. 12.*

Dixi & repeto orationem nostram esse legationem, quæ nisi compta & polita sit, furorem nõ favorem, supplicia non beneficia, rifum non applausum merebitur. Rifit Cato Censorius, teste Plutarcho, cum tres à Senatu Romano in Bithyniam designatos oratores intueretur, quorum alter è vertigine, alter è podagra laborabat, tertius

S. Bernardus serm. 15. in Apocal.

vecors

vecors tertium è bello profugerat; præclara, inquiebat Censorius, Reipublicæ nostræ legatio, quæ nec caput, nec pedes, nec cor habet; talis plerumque nostra ad Deum est oratio, capite caret, quia nescimus ipsi quid petamus, corde caret, quia fervore omni destituta est, pedibus caret, quia reverentiam necessariam non habet, sed trunca est atque rustica. Narrat Albertus Granzius Legatum Italum crudeliter à Moscovitarum principe fuisse interceptum, quod coram eo caput non nudasset, sed allegatâ consuetudine patriâ pileolo appposito perorasset, efferus enim princeps ferreo clavo tegumentum cerebro affigi iussit, irrisoriè asserens, se ritum huiusmodi tali memoriâ non violaturum, sed confirmaturum. si tantos honores terreni exigunt principes, quantâ reverentiâ Regi sæculorum immortalis nos adstare decet, coram quo dominationes, Potestates, Cherubini, Seraphini contremiscunt, totique ad reverentiam compositi assistunt? ab aula regia similitudinem petit Chrysostomus: *aulam regiam intraturus & habitu & oculis & incessu cunctisque alijs te componis & adornas: in Ecclesiam verò ingressurus, ubi verè est aula regia & talis qualis celestis est, rides. non rideres, si quod vidit Chrysostomus, videres, de quo D. Nilus Abbas epist. ad Anastasium Episcopum scripsit: cum coepisset Chrysostomus Sacrificium, plurimæ statim ex illis virtutibus è celo descendentes, stolis indutæ splendidissimis nudis pedibus, intentis oculis pronæ altari, magno cum silentio & reverentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit circumsteterunt.* Si tantâ reverentia coram Deo nostro agunt angeli, quid nos viles homuli, nos terræ vermiculi, nos canes mortui cogitamus? *si quis pedes tuos*

stercore sordidatis manibus supplicando tangeret (verba sunt Oratoris aurei hom. 52. in Matth.) *non modo non exaudires, verum etiam calcibus expelleres, quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? nam qui orat quasi manu linguâ utitur, quâ genua Dei supplicando attingit.*

Discant irreverentes oratores à bene moratis aulicis orare, ut exaudiri mereantur. David septies in die laudem Deo dixit, mediâ nocte ad confitendum Domino surrexit, & quo putamus situ? *adhæsit pavimento anima mea.* ps. 118. v. 25. Daniel in aula Regis ter de die horis statutis genua flexit Deumque adoravit Daniel 6. v. 10. Salomon utroque posito genu fervore maximo, preces obtulit 3. Reg. 8. v. 54. *utrumque enim genu in terrâ fixerat & manus expanderat in cælum.* tres Reges in Bethleemi stabulo *procidentes adoraverunt.* orat Stephanus positus genibus Act. 7. orat Paulus in littore positus genibus Act. 21. orat Petrus pro defuncta Thalita ponens genua Act. 9. Bartholomæus Apostolus centies de die, toties de nocte genua flexit, quod & Martha & Apollonius aliique præstiterunt. Jacobus Alphæi callum velut cameli pellem contraxit; hoc nimirum est apostolicè aulicèque orare, genua reverentissimè submittere, ut benignè nos aspiciat, qui humilia respicit & suscitât de terra inopem, de pulvere erigens pauperem.

Sed quid ego Reges & Apostolos haud moratis oratoribus in exemplum propono? ab irrationalibus bestiis discant genua flectere, cum præsertim in præsentia Eucharistiæ orandum est, nè brutis omnibus audiant brutiores. Asinus Divi Antonij Paduani, ovicula seraphici Patriarchæ Francisci, lupus sanctissimi Præsulis Norberti, agnellus

§. 6.
Reverenter orare non tantum à viris sanctis, sed à brutis animalibus doceatur.

S. Chrysostomus hom. 15. in ep. hebr.

S. Ambrosius l. 3. de virg.

§. 7.
Cur certæ
cerimonie
adhibean-
tur inter
orandum.

Coletæ virginis, canis *Tudesco* Artocreatij hispani (de quo mira Nirembergius) longè majorem in templis modestiam reverentiâque prætulere, quàm haudmorati nostri oratores. Bovem & asellum in genua ad Bethleemiticas cunas submissos considerat Ambrosius. & exclamat. *irrationale animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat*, & addit: *tanta est immodestia hominum, ut plerique deferre nesciant religioni, quod deferunt voluptati.* in gratiam obscœnissimæ alicujus lupæ genua flectere non pudet, ad pascendam commodius oculorum curiositatem genua flectere non piget, ad lambendam cum reprobis Gedeonis militibus aquam genua flectere non tædet, sed ad Deum exorandum genua flectere, pudet, piget, tædet, deferre nesciunt religioni, quod deferunt voluptati. ò probrum! ò dementia! ò scelus!

Pudet ergò multos inter orandum manus ad cælum levare, pudet genua flectere, pudet impudentes non esse; at pudet vicissim bonos angelos, oratores ejusmodi bono oculo contueri, pudet preces eorundem ad thronum misericordiæ deferre, pudet impudentes hosce canes in coetu Sanctorum & viventium numero tolerare. quid? manus ad cælum tollere Christianum pudeat? *omnes homines*, inquit ethnicus Aristoteles l. de mundo c. 7. *ad cælum manus tollimus preces facturi.* auditis hæc Christiani? *omnes homines ad cælum manus*, in numero ergò hominum non estis Aristoteli, si preces facturi manus elevare dedignamini. quod si in hominum numero censendi non estis, dixi jam quorum vos numerem in grege, impudentium scilicet canum, qui quia alios templum ingredi vident, ingrediuntur & ipsi, & quales in-

trant, tales exeunt, verberare & stimulis digni: *foras canes*, omnes homines ad cælum manus tollimus preces facturi. vultis causam? Xenophon eam dedit lib. 9. *Cyropædiæ: manus sustollimus in cælum, quo habitu testamur nos vel orationem tanquam munus jucundissimum Deo offerre, vel cor quasi donum eximum attollere ad Deum*, paulò aliter Tertullianus apolog. 30. *paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani, quasi dicat: necte aut plecte si vis, aut certè miserere.* elevationem manuum requirit Deus thren. 2. v. 19. *effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, leva ad eum manus tuas.* si manus levare negligis, vereor nè quod Nicolaus Papa ad consultat. Bulgarorum scripsit, servo reprobo similis sis, cui manus pedesque ligantur, nè supplices tendere palmas, vel pedibus Domini sui accidere possit ad clementiam aucupandam. Manus levandæ & flectenda sunt genua, quia sic jubet & imperat Dominorum Dominus: *mibi curvabitur omne genu.* non simus elephantum, qui genua curvare nesciunt, sed camelos potius imitemur, qui subfidunt in genua, cum onus suscipiunt; nos honores & favores divinos suscepturi curvemur, & ad terræ usque pulverem humiliemur Abrahami patriarchæ exemplo, qui pro Sodomitarum salute orationem oblaturus tale cepit exordium: *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis* Gen. 18. meruitque ab incendij & incinerationis periculo fratrualem Loth cum omni familia eliberare. Elias ut penetraret oratione suâ nubes, pronus in terram posuit faciem suam inter genua 3. Reg. 18. eundem videlicet situm adhibuit, quem infans in utero tenet teste Aristotele l. 7. c. 8. *de animal. homo in semet conglobatus*

If. 45. v. 24.

tus sic gestatur, ut nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat, quasi eo gestu ex naturæ instinctu auram vitalem ab authore naturæ exoraret, Abrumpo dictionem, & ab oratorum moratissimo Augustino breviculam illam reverentiâ quàm

maximâ creberrimè repeti oro hortorque orationem: Deus universitatis conditor, presta mihi primum, ut bene te rogem, deinde ut me agam dignum, quem liberes, postremò ut liberes Amen.

S. August. in folio. quijs.

* * *
* * *



PHILIPPICA XXIII.

In Contemptores Anathematum Ecclesiasticorum.
DOMINICA VI. POST PASCHA.

Absque Synagogis facient vos. Ioan. 16. v. 2.

§. 1.
Quid sit
excommu-
nicari.



um neque tabernaculum Domini, neque templum Soly-mæum judæos omnes capere possent, synagogas extruere in singulis suis oppidis ceperunt jam inde à iudicium temporibus, paulò post ingressum Hebræorum in terram Chanaam, & Solymis quidem in devastatione urbis numerabantur Synagogarum 480. extra quas relegari ac proscribi idem erat, quod anathema fieri, & publicanis ethnicisque adnumerari. Ejectionem hanc Christo adhuc superstite intentare perfidi judæi ausi sunt omnibus IESU affeclis, teste Ioanne in historia cæci nati, Celidonij dicti, c. 9. v. 22. *jam enim conspiraverant judæi ut si qui eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* & v. 34. *Ejecerunt eum foras.* sed invenit eum Dominus templi, ait Chrysofomus, ideòque dixit: *ego sum ostium.* Parum est à Synagoga proscribi, quæ & ipsa jam proscripta æternòque anathemate est fulminata; horrendissimum autem est extra Sanctorum communionem

fieri atque ab Ecclesia Catholica condemnari, rejici, anathematizari. Quos anathematis cum à nonnullis flocci fieri non ex vano suspicer, insensatam hanc malitiam præsentis dictione perstringam.

Excommunicandi potestatem Apostolis à Christo tradita describit Matthæus c. 18. v. 18. ubi cum Dominus dixisset: *quodsi Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.* hoc est separetur & excommunicetur ab Ecclesia, sicut putre membrum à corpore absconditur, sicut putre pomum à cumulo abjicitur, sicut scabiosa ovis à grege separatur; mox subjungit: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata in cælis,* quibus verbis Chrysofomus, Hilarius, Augustinus potestatem excommunicandi intelligunt, quæ innodati non sunt divinatorum mysteriorum consortes, neque indulgentiarum capaces, nec precum & benedictionum participes, quæ pro fidelibus in orbe utroque, horis & momentis omnibus jugiter offeruntur. Quod si eodem alligati anathemate ex hac vita discedant, sepulturæ honore spoliati, sepulturâ a fini ex æquo sepe-

§. 2.
Excommu-
nicandi li-
potesta-
tem habet